

diuina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad ueritatem, cuius corpus sacramenta sunt, sincerior pateret accessus usq; ad participationem Spiritus.

Idem epist. 2.

Excitamus & exhortamur pios ad praedium, non inermes & nudos relinquimus, sed protectione sanguinis & corporis Christi munimus, & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium uolumus, munimento dominicae saturitatis armamus.

Hilarius lib. 3. de S. Trinit.

De ueritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra uerè caro est, & uerè sanguis, & haec accepta & hausta efficiunt, ut nos in Christo, & Christus in nobis sit.

Chrysost. serm. 3. in 1. ad Ephes. caput.

Quotquot in corpore Christi communicamus, & sanguinem illius degustamus, cogitemus, nos illius corpus & sanguinem gustare, qui